



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Prooemivm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

DISPUTATIONES LOGICAE,

AVCTORE
R. P. RODERICO DE ARRIAGA
E SOCIETATE IESV.

PROOEMIUM.

DIALECTICAE seu Logicae nomine, cognitionem quamdam intelligimus, experientia & discursu partam, quae versatur in dirigendis intellectus nostri operationibus, ut eas sine errore exerceamus. Dicitur Logica, quia sermocinalis est, λόγος enim Graecè sermonem sonat: dirigit enim actus intellectus, quibus sermo mentalis conficitur. Dicitur etiam Dialectica, seu disputatrix, quia methodum differendi nobis exponit. Apud antiquos Dialecticæ nomine intelligebatur tantum ea pars, quae de syllogismo probabili disputat; Logicae verò nomine, tota ipsa scientia: sed iam vsus haec duo nomina confudit, & fecit synonyma.

Explicato disputationis subiecto, quatuor de illa quaerenda sunt, iuxta Aristotelem 2. Poster. cap. 1. & communem Doctorum. Primum est, existentia; secundum, essentia; tertium, causa; quartum, proprietates & effectus. Circa existentiam disputatur primò de possibilitate rei, ne nobis de re Chimericà & impossibili inutilis sit disputatio: secundo loco, an etiam de factò res illa producta sit. Circa essentiam quaeritur quae sit eius definitio. Circa causas, quae sint efficientes, quae materiales, quae formales, & quae finales. Circa proprietates inquiritur, an habeat aliquas, & quae illae sint. His quatuor enucleatis, exhauritur rei cognoscibilitas. In primis, possibilem esse Logicam dirigentem nostrum intellectum ad definitionem, diuisionem, & argumentationem, in quibus errare potest, & errat per sepe intellectus, probatur exemplo aliarum artium, linguam ad rectè loquendum, mores ad rectè viuendum, manus pedesque ad artificiosa entia peragenda instrumentum: imò praedictam Logicam de factò dari, magna eam addiscentium caterua satis confirmat. Causa efficiens Logicae & materialis est intellectus, à quo fit, & in quoniam incipitur, finalis est directio operis: formalem nullam habet, quia ipsa est causa formalis intellectus. Duo ergo manent de Logica disputanda, primum est essentia, alterum proprietates; de quibus in sequentibus Disputationibus. De laudibus, antiquitate, & inuentoribus Dialectica latè Conimbricenses, Toletus Prooemio Logicae, Rubius, & Sotus Quaest. 1. prooemiali: eos videte, si placuerit, nos ad solidiora veniamus.

D LIBER